

Barbosa de *Offic. et potest. parochi*, part. III, c. 27, n. 66, dicens sic decisum fuisse a Sacra Congregatione Rituum in Thelesina, 18 Augusti 1629, et expressius in Adrianensi, 29 Novemb. 1631, in respons. ad 1, ut refert, et tenet etiam Gavant. in *Manuali*, verb. *Exsequiæ*, in addit. num. 8, et Pitton. *Constit. ad parochos*, num. 493, et tenet Ugolin. *de Potest. episc.*, cap. 17, num. 3; Stephanus Gratian., t. III, cap. 402, a num. 19. (9. Quæ tamen Decreta citat in contrarium Samuel de *Sepulturis*, controvers. 5, ubi sic præcise habet: « Canonici Ecclesiæ cathedralis, quando est cadaver in eorum Ecclesia tumulandum, irrequisito proprio parocho liceat, et libere levare illud queunt de domo, aut Ecclesia parochiali, et ad matricem Ecclesiæ deferre. » Sic declaravit Sac. Rituum Congr. in Thelesina, 18 Augusti 1629, et in una Adrianensi, 29 Novembris 1631. Sacra autem Congreg. Conc. in Narnien. *Jurium Parochialium*, 26 Septembris 1699, apud Ursayam loc. cit. infra sub num. 14. « Resolvit a fortiori juxta primam sententiam Canonici decessum in domo propria asportandum esse ad cathedralem, requisito tamen parochi domicili. » (10. Capitulum non vocatum non potest, invitis hæredibus, lucrandi stipendii causa, funeribus interesse. Sacra Congregatio Conc. in Matheranen. loci Grotulæ, in qua propositis dubiis: Primo: an attenta consuetudine, cujus vigore capitulum expensas funerum pro ratione personarum defunctorum taxare solet, sit locus, certam, ac perpetuam taxam pro funeribus quibuscunque præscribendi. Secundo: an capitulum, quamvis non vocatum, possit invitis hæredibus lucrandi stipendii causa funeribus interesse? « Die 12 Novembris 1660, Sac. Congr. secundum ea, quæ narrantur, censuit: Ad primum licere capitulo taxam ad suum libitum facere, et Archiepiscopo injungendum, ut ipse auditis partibus taxam conficiat, eamque Sac. Congr. probandam transmittat. » Ad secundum: « censuit non posse. » Quam declarationem confirmavit in Lavellen., in qua cum communitas instetisset, ut prohiberetur capitulo, et Episcopo intervenire funeralibus invitis hæredibus, et decerneretur, quod taxa non penderet ab ipsorum arbitrio, « die 16 Junii 1668, Sacra Congr. audita relatione Episcopi Lavellen. inhærendo declarationi ejusdem Sacre Congregationis in Matheranen. sub die 13 Novembris 1660, emanatæ, censuit non posse funeralibus invitis hæredibus interesse, nec licere taxam ad suum libitum facere, sed eidem Episcopo injungendum, prout injungit, ut auditis partibus taxam conficiat, eamque Sac. Congr. probandam transmittat. »

(11. Canonici cathedralis Ecclesiæ decedentes non electa sibi sepultura debent sepeliri in Ecclesia cathedrali, si in ea adsit sepulcrum proprium Canonici. Si vero in cathedrali non adsit sepulcrum proprium ipsorum, debent sepeliri in sepulcro majorum. Sac. Congregatio Concilii, 12 Maii 1685, in Tiburtina in responsione ad secundum, ubi ad secundum dubium, quod erat: « An idem Ca-

nonicus decedens non electa sibi sepultura debeat sepeliri in Ecclesia cathedrali tanquam sua Parochia, vel in Parochia domicili, vel potius in sepulcro suorum majorum? die 12 Maii 1685 respondit, ad secundum in cathedrali, si in ea adsit sepulcrum proprium Canonici: sin minus in sepulcro majorum; iis vero non existentibus, an cadaver Canonici sit sepeliendum in Ecclesia cathedrali, vel parochiali, in alia congr. videndum. » Et sic etiam decrevit eadem Sacra Congr. Episc. in Foresempr. 1 Septemb. 1690, quod nempe clerici debent sepeliri in cathedrali, etiam sepultura non electa, si adest sepulcrum clericorum, ut Rituale disposuit, non obstante quod in alia Ecclesia adsit sepulcrum majorum, uti jam decreverat in Senogallien, die 13 Maii 1650, apud Nicol. tom. I, *Lucubr. civil.* lib. IV, tit. xv, num. 23, vers. ultim., ibi: « Clericus non sepelitur in sepulcro majorum, quando in cathedrali, vel matrice adest proprium clericorum sepulcrum a laicalibus separatum. » (12. Et quamvis recenter in alia Senogallien, die 9 Maii 1705, Sacra Congreg. Rituum declaraverit quod quidam clericus defunctus, qui sibi non elegerat sepulturam, sepeliri deberet in sepulcro majorum, et non clericorum; tamen videtur, quod standum sit primis citatis decretis Sac. Congregat. Episcoporum, quia, ut recte observat Monacell., tom. IV supplem. ad tom. I, num. 176, agit non de ritu sepeliendi, sed de jure funerandi, quod declarare, ad quem spectat, potius ad Sacram Congreg. Episc. et Regul. quam Rituum noscitur pertinere, ex bulla erectionis Sixti V incip. *Immensa*, § *Jam vero*; tum quia sicuti laicis decedentibus non electa sepultura provisum fuit a jure in c. *Licet* 4, de *Sepulturis* in 6, ut sepeliri debeant, in sepulcro majorum; ita clericis sic decedentes, ut in sepulcro clericorum in cathedrali, vel matrice Ecclesia construendo, sive sint intitulati, sive non, sepeliri debeant, statuitur in Rituali Romano auctoritate apostolica Pauli V, constit. 85, confirmato et evulgato, quod pro lege servandum est. Pax Jord. t. III, lib. XIV, tit. xxx, num. 45, et cum aliis Monacell. cit. tom. IV, supplem. ad tom. I, num. 176. (13. Requiritur autem, quod in cathedrali exstet sepultura pro Canonici, et aliis clericis specialiter constructa, et deputata, alioquin Canonici, et Clerici sepeliendi erunt in sepulcro Majorum. Ecclesia vero parochialis succedit tantum in defectum electionis sepulturæ, sepulcri communis Canonici in Ecclesia cathedrali, et sepulcri majorum, ita ut Ecclesia parochialis sit ultima, juxta ordinem adductum per textum in cap. *Nos instituta* 1, de *Sepulturis*, ut dicit Pignat. tom. VIII, consultat. 6, num. 4. Attamen Sacra Congregatio in d. Tiburtina nihil decrevit circa dubium: An non existentibus sepulcro proprio Canonici in cathedrali, vel sepulcro suorum majorum sint Canonici sepeliendi in cathedrali, vel in parochiali; ibi in respons. ad secundum, « iis vero non existentibus, an cadaver Ca-

nonici sit sepeliendum in Ecclesia cathedrali, vel parochiali in alia congreg. videndum. » (14. Pro sepultura Canonici cathedralium debetur quarta funeralis parochi domicili, non vero parochi cathed., neque parochi parochiæ, ubi adest sepultura suorum majorum. Sac. Cong. Concil., in d. Tiburtina, in resp. ad 3. Quæ decisio, ut ab omnibus præ oculis haberi possit, ponitur hic cum suis propositis dubiis per extensum:

Primo: « An Canonici Ecclesiæ cathedralis carentis canonica, sive ædibus Canonicalibus, habens domicilium, et actu habitans intra fines alterius parochiæ, dicatur parochianus Ecclesiæ cathedralis, ita ut in infirmitate teneatur recipere Sacramenta a parochi Ecclesiæ cathedralis, vel potius a parochi domicili. »

Secundo: « An idem Canonici decedens non electa sibi sepultura, debeat sepeliri in Ecclesia cathedrali, tanquam sua parochia, vel in parochia domicili, vel potius in sepulcro suorum majorum. »

Tertio: « An pro sepultura Canonici, ut supra defuncti, debeat quarta funeralis parochi domicili, aut parochi cathedralis, vel parochi parochiæ suorum majorum? »

Sac. Congr. Concil. in Tiburtin., 12 Maii 1685, censuit:

Ad Primum: « Teneri recipere a parochi domicili. »

Ad Secundum: « In cathedrali, si in ea adsit sepulcrum proprium Canonici; sin minus in sepulcro majorum; iis vero non existentibus, an cadaver Canonici sit sepeliendum in Ecclesia cathedrali, vel in parochiali, in alia Congregatione videndum. »

Ad Tertium: « Deberi parochi domicili. »

Et sic etiam decrevit Sacra Congregatio Concilii in Narnien. *Jurium Parochialium* 26 Septembr. 1699, ad 2, 3 et 5 dubia, lib. XLIX, Decret. fol. 253, teste D. Ursaya *Institut. crimin.* lib. III, tit. VIII, num. 15 et 16.

(15. Si intervenerit funeribus capitulum Ecclesiæ cathedralis, in hoc casu Curatus, et Sacrista illius cathedralis, licet sint amovibiles, debent præcedere parochi defuncti. Sacra Congreg. Rit. 22 Martii 1631, apud Barbosam de *Potest. Parochi*, part. III, cap. 27, num. 78.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(16. Tametsi Sacra Congreg. Concilii interpres in allegata ab auctore Tiburtina, 12 Maii 1685, in responsione ad 1, dubium fuerit in sensu, quod Canonici domicili habens in aliena parochia non a parochi cathedralis, sed a parochi domicili Sacramenta in ultima infirmitate recipere teneatur; contrarium videtur rescripsisse in Derthonen. *Jurium Parochialium*, 3 Decembr. 1718. (17. In hac enim causa hoc inter alia dubia propositum: « An Canonici Ecclesiæ collegiatae, habitans in domo sita intra fines alterius Parochiæ in ultima infirmitate teneatur recipere Sacramenta ab Ecclesiæ collegiata, vel potius a Parochi domicili? » rescriptum fuit: *Affirmative* quoad primam partem; *Negative* quoad secundam.

(18. Verum est, quod denuo hac ipsa causa proposita die 7. Decembris 1720, responsum fuit: « Examinandos esse testes formiter. » At ex responso hoc quisque facili negotio intelligere potest, Sacram Congregationem Concilii interpretem veram in puncto juris existimasse resolutionem captam die 3 Decembris 1718, quod Canonici ubicunque habitans Sacramenta in ultima infirmitate recipere teneatur a sua Ecclesia, solumque autumasse locum esse posse limitationi dictæ propositionis ex contraria consuetudine, ideoque demandavit examinandos esse testes formiter, alias enim sine ullo testium examine recessisset a *decisis*.

(19. Hic igitur fuit ultimus sensus Sacre Congregationis Concilii interpretis in hac controversia. At Sacra Congregatio Rituum novissime censuit, Canonici in aliena Parochia habitantem, non a parochi cathedralis, sed a parochi domicili teneri in ultima infirmitate recipere Sacramenta, ut patet ex responsione data in S. Severini Præminentiarum, 13 Martii 1756, ad 7 dubium, et in *decisis* perstitit in nova propositione causæ habita de mense Decembris ejusdem anni 1756, licet allegata fuerit d. resolutio Sac. Congregationis Concilii interpretis in d. Derthonen.

(20. Illud non est hic prætereundum, quod eadem Sac. Congregatio Rituum, in responsione ab dub. 11, censuit Canonicos etiam habentes domicilium in aliena parochia sepeliendos esse in Ecclesia cathedrali, solutis tamen juribus parochialibus parochi domicili. Et quod summopere notandum est, in casu illo non constabat, quod in Ecclesia cathedrali aderat sepulcrum pro Canonici. Vide quoque conformes decisiones Rotæ in Romana juris tumulandi, 20 Februar. 1702, § *Nonnulla*, et § *Prædicta*, et in confirmatoria, 6 Maii 1703, § *Præcedenti*, cor. clar. mem. Priol. in Gerunden. *Juris sepeliendi*, 8 Martii 1735, § *Quantum*, cor. clar. mem. Cincio. et in Barchinonen. *Jurium Parochialium*, 2 Decembr. 1735. *Demum*, cor. Eminentiss. Rezzonico.

(21. At si jus sepeliendi Canonici ubicunque domicilium habentes inde favore Ecclesiæ cathedralis oritur, quod Canonici perpetuo manent ejus parochiani, et Sacramenta omnia ab ipsa recipiant, ut disserunt Reiffenstuel in *Jus Canon.* lib. III, tit. XVIII, num. 24, Schmalzgrueb. *Jur. Eccles. univ.* lib. III, part. III, tit. XVIII, § 5, num. 47. Louvrex *Dissert. canon.* 23, num. 17. Amstaz. *de Causis piis*, lib. IX, cap. 2, n. 50; non videtur congruere, quod Sacramenta recipere ii in ultima infirmitate debeant a parochi domicili.

ARTICULUS IX.

De variis concernentibus Canonici theologum, penitentiarium, protonotarium, et jubilatam.

(1. Canonici theologus debet deputari in omnibus Ecclesiis metropolitanis vel cathedralibus, si civitas sit insignis, vel populosa, ac etiam in collegiatis existentibus in aliquo

insigni oppido, etiam nullius diocesis, si ibi clericus numerosus fuerit; et ubi nulla præbenda, aut præstimonium, seu stipendium hujusmodi deputatum reperitur, præbenda quomodocunque, præterquam ex causa resignationis, primo vacatura, cui aliud onus incompatible inunctum non sit, ad eum usum ipso facto perpetuo constituta, et deputata intelligitur. Sic expresse Concil. Trident. sess. 5, *de Reform.*, cap. 1. (2. Hujus Canonici theologi deputatio non fit in Ecclesiis cathedralibus regularibus, ubi præbendæ non sunt distinctæ, nec Ecclesiæ numeratæ, ut est cathedralis Pampilonensis, sed cogendi sunt monachi, ut provideant de lectore idoneo theologiæ, qui publice legat non solum ipsis monachis, sed etiam aliis audire volentibus. Sacra Congregatio Concil. in Pampilon., 9 Septemb. 1573. (3. Canonico theologo in vim unionis factæ ab Episcopo de præbenda vacatura non competit jus adversus canonicatum vacatum per resignationem. Sac. Congreg. Concil. in Monopolitana, 29 Augusti 1627. (4. Præbenda erecta, et deputata pro theologo, a sequenti Canonico optari non potest. Sic decisum fuisse a Sac. Congregatione referunt Gonzal. ad Regul. 8 Cancellar., Gloss. 34, n. 80; Monet. *de Option. Can.*, cap. 3, qu. 6, num. 129; Garcias in addit. ad part. v, cap. 4, num. 132. (5. Præbenda theologalis sicut non potest ab aliquo Canonico optari, cum debeatur per electionem prævio examine, ita theologus non est admittendus ad jus optandi. Sacra Congr. Concil. 12 Feb. 1602. (6. Non enim obtinens præbendam theologalem, potest illam dimittere, et aliam optare ad instar aliorum Canonicorum. Sac. Congr. Concil. 7 Junii 1601. (7. Canonici tamen theologus, qui resignavit in manibus ordinarii præbendam theologalem, potest obtinere mediante optione pinguorem præbendam, cum retentione sui stalli in choro. Sac. Congreg. Rit. in Veronen., 2 Septembr. 1687. (8. Canonici theologus stante consuetudine in Ecclesia cathedrali, ut per quemlibet Canonicum habentem præbendam canonicatui adnexam obtineatur una ex dignitatibus in eadem Ecclesia, quæ nullum habet onus, seu emolumentum, sed solum sedet supra Canonicos, et illos in processionibus præcedit, potest dictam dignitatem obtinere. Sac. Congreg. Concil. 18 Novembr. 1620. (9. Deputatio præbendæ primo vacaturæ in theologalem non comprehendit eam quæ vigore statuti a sequenti Canonico optatur, sed illa præbenda, quam dimiserit Canonici, qui novissime optat, huic muneri unita, et affecta remanet. Sacra Congregatio Concilii in Lunen. Sarzanen., 6 Jul. 1591. (10. Electio personæ ad hujusmodi præbendam theologalem vacantem in mense ordinario,

(1) Benedictus XIV, loc. cit., § 7, hæc tantum habet: « Sacra Congregatio Concilii non semel respondit, munere suo perungi, qui præbendam theologalem obtineat, si sacras litteras exponat, aut scholasticam theologiam tradat diligenter. » Quin etiam num. 8 subdit: « In quibusdam locis pro sacra

pertinet ad solum Episcopum, collatio vero ad illos ad quos antea spectabat. Sic decisum fuisse a Sac. Cong. Concil. referunt Garcias in addit. ad part. v, cap. 4, num. 162. et Gonzal. ad Regul. 8 Cancellar. glos. 9, num. 87. (11. Si vero talis præbenda theologalis vacaverit in mense apostolico, vel alias esset reservata, seu affecta, tunc electio spectabit ad Papam. Sic tenent Garcias, cit. c. 4, num. 164. Gonzal. loc. cit. Barbosa, *de Canon.*, c. 27, num. 13. Sac. Congr. Concil. in Parmen., 7 Octob. 1576. (12. Electio personæ, cui conferendus est canonicatus habens adnexum onus lectionis Sacræ Theologiæ ex præscripto Concilii, pertinet ad Episcopum; collatio vero eidem personæ faciendæ est ab eis, ad quos ante Concilium pertinebat, quamvis regulariter in ea Ecclesia electio sola Canonicorum pertineat ad capitulum, et confirmatio, seu institutio ad Episcopum. Sacra Congreg. Concil. in Aretina, 31 Junii 1627. (13. Præbendæ theologalis collatio erectæ post Concilium spectat ad eum, ad quem ante Concilium electio spectabat, etiam in casu, quo ante Concilium electio spectabat ad capitulum, et institutio ad Episcopum. Sacra Congreg. Concil. in Toletana, 24 Septembr. 1592. (14. Hodie electio theologi (sicuti etiam poenitentiarum, de quo infra n. 45) debet fieri per concursum ex noviss. constitutione Bened. XIII, incip. *Pastoralis Officii*, quæ per extensum adducitur infra sub num. 88.

(15. Canonici theologus quadraginta saltem quotannis lectiones publice in Ecclesia habere tenetur per seipsum, vel per alios idoneos. Benedictus XIII, in Concilio Romano, tit. 1, cap. 71. Et satisfacit muneri suo, sive legat Sacram Scripturam, sive theologiam scholasticam, ut sæpius resolvit Sac. Congregatio; non tamen si legat theologiam moralem; Benedict. XIV, *Instit. Eccles.*, 57, § 6, 7 (1). (16. Theologalis præbenda debetur doctori in jure canonico, non attendente clausula assumendi infra annum gradum magisterii in sacra theologia. Sacra Congregatio Concil. in dub. præbendæ theologalis, 5 Junii 1723. (17. Canonici theologus potest compelli ut per se, et non per substitutum muneri suo satisfaciat, nisi adesset legitima absentiae causa. Sac. Congr. Concil. apud Rotam part. III, recentior. decis. 147, num. 1. (18. Imo tenetur per seipsum, vel per alium substitutum, si diuturnum adsit impedimentum, ad lectionem Sacræ Scripturæ, licet sit senio confectus, aut jubilatus a servitio Ecclesiæ; et quamvis nulla reperiat facta assignatio aliorum reddituum, præter fructus et distributiones theologalis præbendæ. Sac. Cong. Concil. in Anagnina Lecturæ, 29 Julii 1701. (19. Si tamen Canonici theologus sit infirmus

Scriptura, ac theologia scholastica, quæstiones de morali theologia a Canonico theologo explicantur. Confer ejusdem *de Synod. Diocesana*, lib. XIII, cap. 9, num. 17. Vide infra num. 125. (EDIT. BARBIELL.)

infirmitate sanabili, non potest ab Episcopo compelli ad substituendum alium, et eo casu quo alius substituendus sit, puta in casu absentiae, sine legitima causa, electio substituti pertinet ad Episcopum. Sacra Congregatio Concil. in Asten., 30 Maii 1620, et in Cæsaraugustana, 1682. (20. sumptibus Canonici theologi munus suum non adimplentis. Eadem Sac. Congreg. in Placentina., 29 Martii 1687. (21. Et dato quod Canonici theologus nolit ullo modo legere, potest Episcopus illum cogere comminationibus poenarum, sequestrationibus fructuum, et perseverante contumacia, etiam ad privationem devenire. Sac. Congreg. Concil. in Majoricensi, ut refert Aldan. in *Compendio Canon. resol.*, lib. I, tit. III, num. 5. (22. Et ubi Episcopus procedat contra eum ad privationem, non tenetur servare temporum intervalla, quæ præscribuntur in c. 12, sess. 24. Eadem Sac. Congreg. 15 Novembr. 1621; lib. XIII, *Decret.*, fol. 85. (23. Cum præbenda theologalis vacat, dari debet in commendam Canonico idoneo ejusdem capituli, donec titularis provideatur, alias poterit Episcopus applicare fructus alicui personæ extra capitulum, quæ suppleat munus legendi. Sac. Congr. Concil. in Camerin., 8 Febr. 1593. (24. Et hæc persona extra capitulum debet, si reperiat idonea, eligi ex clericis sæcularibus. Sac. Congr. Episc. in Urbinaten. 5 Octobr. 1573. (25. Si vero clericus sæcularis idoneus non reperiat pro dicta præbenda theologali, et pro ejus officio exsequendo, collatio illius suspendenda est donec inveniatur theologus sæcularis cui fieri possit, et interim nullus est deputandus custos, aut curator fructuum ipsius præbendæ, sed illi omnes tradendi sunt superiori alicujus ordinis, qui curet, ut aliquis theologus ex suis regularibus publice in cathedrali Ecclesia doceat Sacram Scripturam, prout mandat decreto Concil. sess. 5, *de Ref.* cap. 1, atque ei in primis necessaria subministret de dictis fructibus, et quod reliquum fuerit, in usum monasterii convertat. Sic resolutum fuisse a S. Pio V, et Greg. XIII, referunt Aldan. in *Compendio Canon. resol.*, l. I, tit. III, n. 2. Zerola in *praxi Episc.*, lib. I, verb. *Præbenda theologalis*. Barb. in *Trid.*, sess. 5, *de Ref.*, cap. 1, num. 13, et Pignatell. tom. III, consult. 62, num. 14, ubi dicit, sic fuisse decisum a Sac. Congr. Episcop. in Tortonen., 1 Aug. 1581; in Camerinensi, 26 Jan. 1594, et in Beneventana, 25 Octobris 1593.

(26. Canonici theologus gaudet vacatione a lectione Sacræ Scripturæ in diebus et temporibus, quibus gaudent doctores universitatum, scilicet a festo S. Thomæ apostoli usque ad diem post Epiphaniam, a Dominica Septuagesimæ ad primam Dominicam Quadragesimæ, a Dominica Palmarum ad totam octavam Paschatis, a festo S. Joannis Baptistæ ad diem 5 Novembris. Ita re-

(1) Tradit auctor, Episcopum cogere non posse Canonicos non confessarios, ut collationibus casuum conscientie intersint. Hæc sententia locum habere

spondit Sacra Congreg. Concil. in Assisien., 24 Januar. 1629, lib. XVIII, pag. 350. (27. Tempus, locum, materiam Sacræ Scripturæ, super qua legendum sit, Sacra Congregatio Concilii remittit arbitrio ordinarii in Brixiani, 4 April. 1596, et etiam Sacra Congr. Episc. 11 Januarii 1594. (28. Unde Episcopus potest statuere, ut lectiones a Canonico theologo non in cathedrali Ecclesia, sed in palatio Episcopi habeantur, maxime si in cathedrali sit infrequens Canonici theologi ibi legentis auditorium, ut in simili casu censuit Sac. Cong. Concil. in Fossanen. lectionis, 11 Mart. 1662. (29. Et quod Episcopus possit præscribere materiam explicandam a Theologo, censuit expresse Sac. Congr. Concil. in Urbinaten., 15 Mart. 1663, et in Ripana, 12 Januar. 1692. (30. Satisfacit tamen Concilio, si a Canonico theologo theologia scholastica legatur. Eadem Sac. Congreg. Concil., 5 April. 1576. (31. Non potest autem Canonici theologus se eximere ab explanatione Scripturæ, prætextu quod non habeat auditores. Eadem Sac. Congreg. Concil. in Fundana, 15 Octobris 1618. (32. Non tenetur tamen Canonici theologus legere, si ejus antecessores nunquam legerint, ex quo non adesset necessitas. Sac. Congreg. Episc. 8 Maii 1637 in Bononiensi, ubi declaravit Canonicum Sancti Petronii Bononiensis non teneri legere, quod nulla ejus lectionis adesset necessitas, et quod ejus antecessores nunquam legerint, ut refert Pignatell. tom. III, consult. 62, num. 38. (33. Ad lectionem Sacræ Scripturæ in cathedrali teneri accedere Canonicos, et cæteros presbyteros ipsius Ecclesiæ cathedralis, et posse compelli ab Episcopo, decrevit Sac. Congreg. Concil. 11 Aug. 1618, ut refert Barb. *de Canon.*, c. 27, num. 28, et in Urbinaten., 10 Maii 1663, ut refert Pignatell. tom. III, consult. 62, num. 45, et jam sic decreverat etiam Sac. Congr. Episc. in Fundana, 16 Mart. 1593, ut refert, et tenet mordicus Monacell. tom. I, tit. II, formul. 5, num. 8, 9, 10 et 11. Et Pax Jordan. *Lucub. Canon.*, tom. II, lib. VII, tit. III, num. 48, ubi testatur, ita in sua Ecclesia Jadrensi practicasse, et appellationem e suo decreto, et ordinatione interpositam, fuisse rejectam. (34. Et de facto Canonici, si in Quadragesima non intersint concioni in cathedrali, vel sua respectiva collegiata, privari possunt distributionibus illius diei. Sac. Congreg. Episc. in Comensi, 10 Maii 1580, et in Castellansen., 10 Aug. 1602. Unde Sac. Congreg. Concil., die 2 Jun. 1593, approbavit præceptum Archiepisc. Tarentini, quod Canonici non interessentes concioni punirentur solita punctatura.

(35. Ad interessendum autem lectioni, seu conferentiæ casuum conscientie possunt solum compelli Canonici, aliique presbyteri qui sunt confessarii; cæteri vero Canonici (1), et presbyteri, qui non sunt confes-

nequit post Concilium Romanum, cujus Decretis adhærens Sac. Congreg. Concil. contrarium sæpe declaravit, et signanter die 27 Augusti 1727, in una

sarii, possunt solum hortari (1), ut pluries declaravit Sac. Congr. Conc. et novissime in Civitatis Plebis, 15 Mart. 1692, in qua collatis decretis, quæ ad invicem videbantur pugnare, ad dubium propositum: « An Episcopus posset compellere Canonicos confessarios cæterosque presbyteros cathedralis sub pœna pecuniaria, ut accederent ad Congregationem casuum conscientiæ, responsum fuit, posse compellere omnes sacerdotes sæculares confessarios, etiamsi Canonici sint, cæteros autem hortari; » et sic fuit etiam decisa a Congregatione particulari deputata in Vigiliis synodi, 30 Maii 1696, in responsione ad 35 decretum, et iterum in Congreg. generali 18 Jul. ejusdem anni 1696, et prius in alia S. Angeli Bisaciarum 15 Aprilis 1596. (36. Regulares vero, nisi sint parochi, nullatenus cogi possunt ad interessendum lectioni, seu conferentiæ casuum conscientiæ. Sac. Congr. Concilii in Forosempronien., 3 Septembr. 1630, eadem Sacra Congr. in Urbinaten., 10 Martii 1663, et expresse Sac. Congr. super statu regularium decrevit, ut sequitur: « Cum conventus suppressi, et postea restituti, in quibus non degunt de familia duodecim religiosi, sint vigore decreti *Ut in parvis* fel. recordationis Innocentii X, subjecti visitationi, correctioni, et omnimodæ jurisdictioni ordinariorum locorum, contigit dubitari: An religiosi confessores, et non parochi in hujusmodi conventibus degentes compelli possent ab eisdem ordinariis, ut accedant ad conferentiam casuum conscientiæ? Proposito hoc dubio in Sac. Congr. super statu regularium habita in palatio Vaticano, die 15 Januarii 1682. Eminentissimi Patres censuerunt ordinarios locorum posse quidem hortari, non autem compellere prædictos religiosos confessores non parochos ad accedendum ad conferentiam casuum conscientiæ. Cæsar Card. Fachentus... B. Panciaticus Secret. » (37. Imo neque possunt cogi ad interessendum lectioni Sacræ Scripturæ regulares illi, in quorum monasteriis talis lectio minime habetur, ut expresse censuit Sac. Congr. Concil. in Fos-

Acerrarum ad dubium quintum, tom. IV *Thesaur.*, pag. 104, in Larinen., 9 Augusti 1732, ad primum, tom. V *Thesauri*, pag. 296, et in una Salernitana, die 27 Septembris ejusdem anni ad primum, pag. 550, in quibus Resolutionibus indiscriminatum est sermo, absque distinctionibus confessoriorum, et non confessoriorum. (EDIT. VEN.)

(1) Vide novum articulum verb. Congregationes pro sacrorum rituum et casuum conscientiæ disceptatione, n. 5 seqq. (EDIT. BARBIELL.)

(2) Nunc tamen ubi concilium provinciale Romanum anno 1725, habitum obligat Regulares, in quorum cœnobiis Sacræ Scripturæ lectio non habetur, cogi possunt ut huic intersint, si ad audiendas sæcularium confessiones approbati sint, sub pœna suspensionis ab illis audiendis. Etenim in eo concilio, tit. 1, cap. 9, cujus titulus est: *Sacræ Scripturæ lectionibus quinam interesse teneantur*, dicitur: « Ecclesiarum proinde tum cathedralium, cum collegiatarum dignitates, et Canonici, parochi itidem, et confessarii sæculares (regulares etiam sub suspensionis pœna a confessionibus audiendis, quatenus hæc ipsa lectio in eorum monasteriis non habeatur)

sanen. Lectionis, 11 Martii 1662, ubi fuerunt proposita dubia tenoris ut sequitur: Primo: « An Episcopus statuere possit, ut lectiones a Canonico theologo non in cathedrali Ecclesia, sed in palatio Episcopi habeantur? » Secundo: « An ipse cogere possit regulares, in quorum monasteriis lectio Sacræ Scripturæ minime habetur, ut lectionibus per Canonicum theologum habendis intersint? » S. Congr. Conc. censuit: Ad primum in casu, de quo agitur *affirmative*. Ad secundum, *negative* (2). (38. Regulares tamen, qui exercent curam animarum, tenentur intervenire conferentiis casuum conscientiæ, et ad omnia alia, ad quæ tenentur curati sæculares. Sac. Congr. Episcop. in Vigevanens., 5 Januar. 1508, in Lucensi, 4 Februar. 1602, in Senogalliensi., 26 August. 1616 et 13 Septembr. 1641, ac 22 ejusdem 1645, et 8 Octobr. 1649, et 8 Januar. 1650. (39. Ad quæ cogi possunt ab Episcopo. Eadem Sac. Congr. in Paduana, 13 Febr. 1604. Etiamsi sint ad nutum amovibiles, et sic etiam Sac. Congr. Conc. in Cauriensi, 5 Apr. l. 1631. (40. Et ideo si renuerint, potest Episcopus procedere contra ipsos regulares parochos, non autem contra eorum superiores. Ead. Sac. Congr. Concil. in Segobiensi, 1 April. 1656. Non tamen iidem parochi regulares cogi possunt ad assistendum divinis in cathedrali, nequidem in festo S. patroni. Ead. Sac. Congr. 1 Decemb. 1626.

(41. Canonico theologo die qua legit, licet choro non intersit, debentur distributiones non solum pro illis horis, quibus legit, ut si mane legat pro horis matutinis, et Missa solemniter, sed etiam pro tota die. Sac. Congr. Conc. in Oriolen., 5 August. 1616, et in Fanensi, 3 August. 1624. (42. Imo non solum distribuendæ sunt illi distributiones quotidianæ omnium horarum illius diei, qua lægerit, sed etiam emolumenta quæcunque personaliter interessentibus dari solita, etiamsi choro non intersit. Sac. Congr. Concil. in Oriolen., 12 August. 1628. (43. Quamvis tamen tota die, qua legit, habeatur pro præsentem in choro, etiam quoad distributiones juxta su-

Sacræ, ut supra dictum est, Scripturæ lectioni, diebus, et hora, ab Episcopo præfigendis, omnino interesse teneantur; imposita, quæ eidem Episcopo placuerit, contra absque legitima causa absentes pœna pecuniaria, nemini ullatenus remittenda. » in eadem porro synodo, tit. eodem, cap. 8, methodus observanda in sacra Scriptura exponenda proponitur his verbis: « Lectores autem, quicumque sint, divinas in Ecclesia Scripturas interpretantes, hortatos volumus, ut cum non omnes auditores sint eodem ingenio præditi, clara et pro singulorum captu dicendi ratione utantur; potissimumque monemus, ut, maximum circa hoc ministerium, ea ipsis præcipua, sit methodus, quatenus, litterali in unaquaque lectione textus enarratione præmissa duas nimirum ex eisdem sacra Scripturæ locis proponant semper, solvantque quæstiones, historicalem unam, moralem alteram, vel de nostræ fidei articulis, et sacramentis, vel de catholice Ecclesiæ ritibus, eorumque mysteriis, vel aliis ad sanam doctrinam, et Christianam institutionem spectantibus, quæ humana: nedom eruditioni, sed spirituali etiam valeant prodesse interessentium salutem. » (ED. BARB.)

prædicta, non censetur tamen præsens Matutino, quod dicitur pro die sequenti in vespere præcedente secundum consuetudinem, vel privilegium aliquarum Ecclesiarum. Sic decisum fuisse a Sac. Congregat. Concil. refertur Garcias, *de Benef.*, part. III, cap. 2, num. 118. Gallet. in *Margarita Casuum conscientiæ*, verb. *Canonicus*, pag. 29. Nald., verb. *Distributiones*, num. 9. Barb., *de Offic. et potest. Episcop.* part. III, alleg. 56, num. 9, et *de Canon.*, cap. 27, num. 34, et in Concil. Trid., sess. 5, *de Reform.*, cap. 1, num. 35, et *Apostolic. decis.*, verb. *Canonicus theologus*, num. 12. Ex præbenda theologali segreganda est tertia pars, ex cujus redditibus data proportione solvenda est sua portio sacristæ metropolitanæ, respondens diebus quibus Canonicus deesset muneri suo. Ita cit. *Inst. Eccl.* 57, § 7. (44. Canonicus theologus debet sedere in loco sui canonicatus, non enim illi competit præcedentia super alios Canonicos, non obstante contraria consuetudine, quia non est dignitas; sed sedere, et incidere debet secundum suam antianitatem. Sac. Congr. Conc. in Senensi, 16 Apr. 1695, et in Murana, 11 Apr. 1697.

(45. Pœnitentiarius Canonicus in omnibus Ecclesiis cathedralibus, ubi id commode fieri potest, est instituendus. Concil. Trid., sess. 24, cap. 8, ibi: « In omnibus etiam cathedralibus Ecclesiis, ubi id commode fieri poterit, pœnitentiarius aliquis cum unione præbendæ proxime vacaturæ ab Episcopo instituat. » (46. Canonicus pœnitentiarius deputari debet, qui sit magister, aut doctor, seu licentiatius in sacra theologia, vel jure canonico. Trid. loc. citat. ibi: « Qui magister sit, vel doctor, aut licentiatius in theologia, vel jure canonico. » (47. Imo non sufficit quod sit doctor nomine, sed debet esse doctor re, et si constat deputatum esse valde ignarum, licet ipse sit doctor, est deputandus alius; vacante enim officio pœnitentiariæ cathedralis Ecclesiæ Capuanæ Eminentissimus Card. Bellarminus Archiepiscopus petiit a Sac. Congreg. Conc. an esset conferendum N. qui, licet doctor fuisset, tamen attestabatur esse valde ignarum? Et Sacra Congr. die 20 Martii 1623, censuit hujusmodi N. haberi ac si non esset doctor, et ideo de alio providendum; sic ex Barb., *de Canon.*, et *Dignitatib.*, cap. 25, num. 9, refert. Corrad., in *Praxi Benefic.*, lib. II, cap. 4, num. 120, ubi num. præc. ait ex Felin. in cap. *Si quando*, num. 7, de rescript. quod Ecclesia indiget viris litteratis, non asinis ferratis. (48. Quando autem doctores, et licentiatii in jure canonico, vel theologia apti non inveniuntur, non est necesse pro validitate collationis hujus præbendæ, quod provivus sit doctor, vel theologus, sed sufficit, quod in loco sit aptior. Colligitur ex Trid. loc. cit. ibi: « Seu alius, qui aptior pro loci qualitate reperitur, » et tenet Garcias, *de Benef.*, part. VII, cap. 4, n. 32. Barb., *supra Concil.*, d. cap. 8, n. 16. Monacelli, t. I, tit. 2, formul. 6, n. 2. (49. Et Corrad., loc. cit., num. 121, refert, Sac. Congr. Conc. in Elhor. Pœnitent., 12 Martii 1623, decrevisse, quod

potest præbenda pœnitentiariæ resignari ad favorem illius, qui non sit doctor, neque licentiatius, sed attestatioribus ordinarii, capituli, et academiæ asserit de idoneitate ad effectum, ut Papa provideat, et num. 122, prosequitur dicens, quod licet vulgo dicamus, non omnem doctorem doctum esse, attamen bene et converso, omnem doctum esse doctorem, multi enim sunt doctores nomine, pauci vero opere; quare doctoratus dignitas hodie in Italia quasi contemptibilis est, quandoquidem ad illam fere omnes promoveri curant, ex Lotter. *de Re benefic. in appar.*, num. 128, cum pluribus seqq. (50. Canonicus pœnitentiarius debet esse in ætate quadraginta annorum. Conc. Trid., loc. c., ibi: « Et annorum quadraginta, » et hujusmodi quadraginta annos debere esse completos, tenuit Garcias, part. VII, cap. 4, num. 35. Navar., conclus. 17, num. 2. Barbosa, in *Concil.*, loc. cit., num. 19, et *de Canonic.*, cap. 26, num. 10, et d. allegat. 55, num. 9, contra Azorium existimantem sufficere esse inceptos. (51. Defectus tamen ætatis quadraginta annorum in Canonico pœnitentiario non obstat, ubi alias aptior pro loci qualitate reperiri non potest, et sufficit, quod non reperiat in civitate, aut in diocesi persona apta cum dictis qualitatibus, nec enim est quærenda extra diocesim; arg. cap. *Nullus* 13, distinctione 61, et cap. *Sacrorum* 34, distinctione 63, et ita tenent Salazar. de Mendoza, in libello *de Institutione canonicatus pœnitentiariæ in Ecclesia Tolet.*, § 3. Navar., *de Privileg. clericorum*, cap. 4, num. 70, in *Singul. Canon.*, conclus. 17, num. 4. Garcias, d. capit. 4, n. 33. Barbosa, *de Offic. et potest. Episcop.*, d. allegat. 55, n. 8, et in *Concil.*, loc. cit., num. 20, et d. *Canonicis*, loc. cit.

(52. Canonici pœnitentarii institutio in cathedralibus tantum est faciendâ, ut colligitur ex Trident., loc. cit., ibi: « In omnibus cathedralibus Ecclesiis, » et quod decretum Concilii intelligi debeat tantum de cathedralibus, et locum non habeat in aliis collegiatis, decisum fuisse a Sac. Congr. Concil. refertur Sell., in *Selectis Canonum*, cap. 21, num. 3, et Garcias, *de Benefic.*, part. V, cap. 4, n. 113. (53. Pœnitentarii institutio, et electio personæ ad solum Episcopum absque consensu capituli spectat cum hoc solius Episcopi arbitrio relinquatur. Et sic decisum fuisse a Sacra Congreg. Concil. refertur Garcias, d. cap. 4, n. 138. Aloys. Rice., in *Praxi for. Ecclesiast.*, resol. 477, n. 1, in 2 edit. Ugolin., cap. 33, n. 2. Zerola, verb. *Pœnitentiarius*, § 3, et tenuit Rota in una Abulen. *Canonicat. Pœnitentiaria*, 17 April. 1589, coram Mantica, et in Majoricen. *Canonicatus*, 15 Novembr. 1593, coram Card. Millino. (54. Electio personæ pœnitentarii ad solum Episcopum tunc pertinet, quando præbenda non vacat in mense apostolico, vel non adest alia reservatio seu affectio, nam tunc ad Papam pertinet ratione reservationis; Gonzal. ad regul. 8 Cancellar. gloss. 9, § 2, n. 24. Salazar. de Mendoza, in